# INCIP LIBER SCI HIE RONIMI PRBI ADUER SUS HELUIDIUM DE SCAE MARIAE UIRGINITATE PERPETUA

Nuper rogatus a qui
busdam fratribus ut aduer
sus libellum cuius
dam heluidii res
pondere·facere
distuli, non quo difficile fuerit
hominem rusticanum et uix quoque
primis inbutum litteris ueritatis
adsertione conuincere sed ne meo re
spondendo dignus fieret qui uinceretur.
Huc accedebat quod homo turbu
lentus et solus in uniuerso mundo sibi
et laicus et sacerdos qui ut ait
ille loquacitatem facundiam existimat
et maledicere omnibus bonae conscien
tiae signum arbitratur accepta
materia disputandi amplius in
ciperet blasphemare et quasi
de sublimi loco in totum orbem ferret
sententiam. Neque quia ueritatem si porro et
laceraret conuiciis. Verum haec omnia ne
iuste silentii causae ob scandalum fratrum
qui ad eius rabiem mouebantur iustiore
fine cessarunt. Iam ad radicem infruc
tuosae arboris euangelii securis est
admouenda et cum infecunda fronde
tradenda flammis. Ut discat aliquando

do reticere qui numquam quod didicit loqui.
Invocandus est mihi spiritus sanctus ut beatae mariae
uirginitatem suo sensu meo ore defen
dat. Invocandus dominus iesus ut sacri uteri
hospitium cuius decem mensibus inhabitator
fuit ab omni concubitus suspicione tueatur.
Ipse quoque deus pater est inuocandus ut matrem
filii sui uirginem ostendat fuisse post partum
quae fuit mater ante quam nupta.
Non campum rhetorici desideramus eloquii
nec dialecticorum tendiculas et aristote
lis spineta conquirimus. Ipsa scriptura
rum uerba ponenda sunt ipsis quibus ad
uersum nos usus est testimoniis reuincatur
et intellegat se et legere et non intellegere
potuisse quae scripta sunt. Primum eius pro
positio fuit. Matheus loquitur.
Xpi autem generatio sic erat. Cum esset
desponsata mater eius maria ioseph prius
ut conuenirent inuenta est in utero ha
bens de spiritu sancto. Ioseph autem uir eius cum esset iustus
et nollet eam traducere uoluit occulte
dimittere eam. Haec autem eo cogitante ecce
angelus domini in somnis apparuit ei dicens
Ioseph fili dauid ne timeas accipere ma
riam uxorem tuam quod enim in ea natum est de
spiritu sancto est. Ecce inquit habes despon
satam non commendatam ut dicitis et utique
non ob aliud desponsatam nisi quandoque nup
turam. Neque euangelista dixisset
priusquam conuenirent quia
nemo de non pransuro dicit antequam pran
deret. Deinde ab angelo uxor appellatur

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BLB Badische Landes-Bibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Badische Landesbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/blb_augperg105/0009